



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Impius Infelix

Texier, Claude

Augustae Vindelicorum [u.a.], 1695

Deus effundit tres maledictionum species, super impium. 1. Ei maledicit in bonis externis. 2. In potentiis animæ. 3. In virtutibus ipsius apparentibus. In morte, & post mortem illius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45950)

tiores in malitia obstinatos, suis vitiis pertinaciter insistentes.

Eandem cum Propheta commissionem mihi delegatum subituro in objectum meorum sermonum per istius Adventus decursum elegi impium, sive peccatorem in malo obduratum triplici maledictionum generi obnoxium. *Induit maledictionem sicut vestimentum.* Funestus hic habitus, impio injectus, designat maledictiones, quas Deus in peccatoris externa effundit, illi maledicendo in bonis fortunæ, in prole, in prosperitate & adversitate exteriori. En primam partem meorum discursuum Adventus.

Intravit sicut aqua in interiora ejus. Hæc verba significant maledictiones, quibus Deus interiora peccatoris obruit, intellectum videlicet excecatione, voluntatem perversitate, & subjectione sub tyrannide passionum, conscientiam ipsius importunis torquendo remorsibus. Hæc partis secundæ materia erit. *Sicut oleum in ossibus ejus,* eousque dicta maledictio penetrat, in ossium, sc. peccatoris, intimam medullam.

Ossa in Scriptura sumuntur pro virtutibus; innuitur proinde, impium esse maledictum in suis virtutibus apparentibus, maledictum in sua fide, in spe, in devotione sua ac poenitentia. Denique maledictum in morte sua & post mortem, in tempore simulque in æternitate. Ubi jam habes tertiam mei objecti partem. Summam occasionem ad finem sermonum differendi de trina benedictionum specie, quas electis suis dispensat Deus, unaque docebo vos in prima parte artes prorsus innocuas, multiplicandi fortunæ bona, conservandi honorem vestrum, posteritati item vestræ omnem prosperitatem procurandi.